ENCYCLOPÆDIA NATVRALIS ENTIS:

In genere & ſpecie Doctrinâ Peripateticâ, ad mentem Doctoris Angelici expreſſa.

A

STANISLAO STOKOWSKI, Auditore Curſus, ab Admodum R.ndo olim GABRIELE WLADISLAWSKI, Fundati. In florentiſſima Academia Cracouienſi, publice ad diſputandum propoſita.

Anno 1637. Menſe April. Die Hora

Præſidente V. M. IOACHIMO SPERONOWIC, tum eiusdem Curſus Profeſſ.

CRACOVIÆ,

In Officina Typ. Matthiæ Andreouienſis.

In Insignia Academica.



Antiquis meritis antiquo sanguine parta
Iactamus iuuenes Stemmata; mille modis.
En commune decus communia Sceptra Parentis,
Fiant assiduo nostra labore precor.



INCLYTÆ VNIVERSITATI STVDII CRACOVIENSIS:

Magnifico & Admodum Reuerendo Dño,

D. ADAMO OPATOVIO,

S. Th. Doct. & Professori: Ad S. ANNAM DECANO, eiusd. Studij Acad. Crac.

GENERALI RECTORI:

Necnon omnibus omnium Facultatum DOCTORIBVS & Professoribus.

VIDEO Admodum Rndi & Excellentes Viri, virtutum & literarum gloria ornatissimi, vestræ dignitatis rationes ita esse constitutas, vt non aliunde popularem auram sollicite ambiatis, quam ex literis & labore veram & solidam gloriam operosè quæratis. Idcirco facilè animo possum colligere, status Vestri & nominis celebritatem ita natura sua comparatam esse, vt neque mea, neque cuiusquam prædicatione exaggerata opus esse possit. Decori tamen in vita seruandi & in officio retinendi rationes, iure optimo postulant, vt non modo diligenter consideremus, quid à nobis præstari sibi exoptent illi, quos cultu animi sanctiore tenemur venerari; verumetiam accuratissime circumspiciamus, quid nosmet ipsis vltrò impertiri debeamus. Istius facti pulcherrimi, quando ego non ignauum ducem agere volo, vnà etiam cogito, esse operæ pretium, vt ad omnem generosa iuuentutis memoriam exemplar eius, & feruidior imitatio transferatur. Equidem liberale non est, quam vitæ ac studiorum Patronis debeas gratitudinem non seruili adulatione quam liberali officio expressam, eandem muta & elingui pres-

gui pressum ne dicam extinctum ire taciturnitate. Silentiū non raro auersionis & odij testis est non obscurus. Quanto laudabilius est in eã partem propendere, quæ semper debita officia, non annis reseruat vlterioribus, sed quo primùm licet cursu ætatis ac temporis, pro virili exaggerat, quid olim studiorum & officiorum polliceatur, nec promeritum honorem leuiter differt, sed grauiter defert, neq; eum priuatis tantùm inclusum cupit parietibus, sed publica etiam luce contestatur. Iste meus est de re omnium præclarißima sensus, hoc animi votum & desiderium. Quod vt tantò clariùs qua parte mihi concessum est confirmarem, ac palàm sacrosanctè haberem, ex Cursus biennalis fundationis Admodum Rndi olim Dni Gabrielis WLADISLAWSKI (cuius viri nomen & memoriam cupimus esse immortalem) naturali Philosophiæ parte collectas Propositiones ea quæ fas est reuerentia & promptitudine, omnium vestrum dignitati & amplitudini defero, do, consecro. Vnicum à vobis obnixè precatus, vt perexiguum hoc animi vobis semper obligati argumentum, summa Vestra humanitate, & complexu patrocinij & amoris plenißimo foueatis. Omen bonum capio, ex ista qua in eam rem propensione & affectu incubui, fore vt quod maximè cupio non alium scopum & exitum quam felicem & auspicatum, sit habitura. Atq; hic fructus est, vt quisq; perspiciat nobilißimam iuuentutem quæ in augustißima Regni Poloniæ Academia, vsibus & ornamentis Patriæ tam sollicitè, tam fideliter, tam accuratè instituitur, non ingratam imò gratißimam in Patronos vitæ ac studiorum suorum esse, & semper haberi velle. Me quidem ea res vnica maximè delectabit, si à vobis iudicio & autoritate grauißimis, hæc meæ voluntatis contestatio literaria, animo beneuolo fuerit approbata. Augurium enim accipiam fortunatum quod ex hoc Philosophiæ arctiore curriculo in Reipub. patentiori stadio Vestra opera & industria expolitus, laudabiliter sim cum ætate progressurus.

Adm. Reuer. & Excell. Dominationib. Vestris

dedititsimus

Stanislaus Stokowski.



PROPOSITIONES Naturales ad mentem Doctoris Angelici.

Philoſophia naturalis in communi, eiusq́ue obiectum, abſtractio, finis.

I. BEne ac feliciter ſummaDiuina bonitate actum eſt cum homine, cui ex tot in rerum natura nexu & ſapientia admiranda propoſitis entium ordinibus, facta eſt poteſtas percipiendi omnia ſub certis communium notionum luminibus, & iterum ſegregandi facultas conceſſa, quicquid in vniuerſa entis natura coagmentatum continetur.

2. Dote iſta feliciore aucta ratio, identidem efficacius ad contemplationem aſſurgens, poſtquàm vias & modos illius perſcrutata eſt & complexa; in vno deprehenſa multiplicitate eam ita ſegregat, vt mox ad vnum omnia tanquam ad centrum ſuũ norit reuocare.

3. Hinc diuerſos habitus promanauiſſe compertum eſt, qui ſub certa obiecti formalis & abſtractionis vnitate à nobis cognoſcuntur.

4. Quocirca parti habitus naturalis ſimpliciter ſpeculatiui palmarium eſt, ſui principia, cauſas, partesq́, & affectiones entium latentes, ex abdito in lucem vocare, idq́ue certa obiecti certi præfinita veritate. Eum verè vnum ſpecie athoma dixeris, qui tamen terna remotionis entium à concretione materiæ ignorata notitia, non liquido conſtiterit.

5. Basis abstractionum est indifferentia corporis substantialis, cui cùm adiungis accidentia singularibus naturæ vincta ligamentis, scibile non est, quod si nodos istos rescindis & specificos adnectis, factum est ens mobile ipsissimum subiectum habitus naturalis.

6. Finem habitus vel generalem cognosce perennem felicitatatem ex continua speculatione natam, vel proximum aduerte, qui est entium naturæ cognitio

Doctrinæ methodus cum ordine addiscendi.

7. Distincta sunt hæc, ac de prioritate in certamen descendunt, sed coniunctis verius præsidiis homini suffragantur. Methodus cōmunis tàm confusa quàm distincta persequitur; hæc aspera & prærupta omnia auersatur, de facillima disponendi & exponendi commoditate maximopere sollicita.

8. Quando Philosophus docuit procedendum esse ab vniuersalioribus ad ea quæ sunt minus vniuersalia, à confusis ad distincta eundum esse indicauit, idque non tam facilitatis quàm methodi habita ratione. Hæc verò constat cōpositione, cuius inrebus physicis locus est proprius, & resolutione, quando vel totius partes, vel finis media, primo inuestigantur.

Principia entis mobilis communia.

9. Oportet principia supponere, aut ex nihilo aliquid fieri cōcedere. Ea rectè describuntur: quod neq; sint ex aliis, neque ex alterutris, sed omnia fiant ex illis. Vbi particula Ex, non tantùm dicit negationem termini superioris à quo, sed etiam in ordine ad principiata exprimit rationem partis componentis.

10. In numero principiorum assignando, per extrema vagari non oportet, vnum ens, vel infinitas athomos adstruendo, tria sufficiunt: Materia, forma, priuatio. Quorum duo in facto esse sunt

rerum

rerum constitutiua, tria in fieri assumentur. Sunt contraria & quidem prima, nec tamen omnia, sed forma & priuatio, nec vera contrarietate, sed priuatiua.

11. Ordo in principiis eiusmodi habetur vt ante omnia primum transmutationis essentialis subiectum supponatur; illi vt informi priuatio habendę à forma perfectionis adhæreſcit, ad quam cum ab agente mouetur acquirendam, à termino à quo ad terminum ad quem progreditur. Materia & forma realiter positiuè priuatio à materia negatiuè duntaxat distinguitur.

Prima principia in specie.

12. Quod materia sit, per se non est demonstrabile, sed bene id à Philosopho per analogiam declaratum. Dicitur primum vniuscuiusq; subiectum, ex quo fit aliquid cum insit, per se & non secundùm accidens, etsi corrumpitur in hoc abibit vltimum:

15. Materia pura est potentia passiua realis actu omni destituta'. Quæ potentia est sibi essentialis, secundùm quam dicit habitudinem transcendentalem ad formas pariter essentiales. Eadem dicitur ratio sua communis, qua apta nata est formas indifferenter & successiuè recipere. Vnitas illi positiua nulla debetur negatiua vtique concedenda. Est ingenerabilis, incorruptibilis, expers dimensionum formaliter, quæ per se illi tribuuntur.

14. Forma bonum Diuinum perfectio naturæ expetenda, est id quod esse in rerum natura entibus constitutis tribuit, per quam omne quod est intra latitudinē entis mobilis consistit. Illa dat esse & viuere cunctis rebus, in tot ac tam distinctis indiuidua speciebus substantialiter determinans, decorem vniuersi illa procurat & conseruat, illa omnes generationes terminat & perficit. Quid multis? tolle formam, nihil erit.

15. Esto forma sit eius prærogatiuæ, ab illa tamen tota rei naturalis quidditas non habetur. Formarum quædam sunt substantia-

les,

les, quædam accidentales. Subſtantialium aliæ de foris veniunt vt humana, cui & in priori creationis exiſtentia debetur,& magis cùm ex hoc ergaſtulo in libertatem exoptandam vocatur. Aliæ de potentia materiæ virtute agentis educuntur, ita omnes formæ naturales, quæ idcirco à materia ſunt dependenter & operantur. Accidentales formæ quàm latè pateant, docet nouenarius categoriarum accidentis apparatus. Agmen ducunt quantitatiuæ, quibus mediis in ſubiecto aliæ ſuſtinentur.

16. Vnam eſſe vnius compoſiti formam ſubſtantialem tam planum eſt, quàm manifeſtum auulſa parte animalis perfecti, nec totam ibi formam nec partem eius, nec vllam partialem auelli: Nec duabus formis ſubſtantialibus, diuerſæ aut eiuſdem ſpeciei, vnam particulam; neque vnica forma, portiones materiæ duas aut plures informari probabitur, niſi vna oſtendatur, præuias diſpoſitiones ad formas eiuſmodi eſſe compoſsibiles,& ſpecies rerum diuerſas, monſtroſa coagmentatione confuſas, in eadem vnitate materiæ ſaluari, ait quod eadem ſit plurium ſubſtantia ſingularis.

Naturæ & artis notiones.

17. Faceſſant Neotericorum naturæ deſcriptiones, quando Ariſtotelica altum eis imponit ſilentium. Natura eſt principiũ & cauſa motus & quietis, eius in quo eſt, primo per ſe & non per accidens. Cæli perpetuo rotatu circumaguntur, terreſtri pondere entia grauata circa centrum quieſcunt, Quid tum? Et particula in ſenſu diuiſo ſumatur, & quies perfectio motus naturalis dicatur, definitio incolumis conſiſtit.

18. Ratio naturæ primariò formæ, ſecundariò materiæ competit. Compoſito neq; iſto modo, quod non eſt natura, ſed res naturalis, & aliquid à natura. Formas omnes ex quo ſunt actiua principia huc congere.

19. Deludet ars æmula naturæ quantum poteſt, animet ſeſe

identidem

identidem ad contentionem, quicquid est rei paratioris chymica fornace totum euapouetur, non facilè tamen catos traxerit & pecuniosos animos, vt aurea præcepta ad speciem fabricata tanti faciant, quin rudiores benignioris naturæ modos artificiosis istis anfractibus anteponant.

20. Sed aurum arte factum non omninó nihil est, multum valet artis cuiusque notitia, cui penitus est perspecta. Accommodata pasiuorum actiuis additio, hic tantùm iactatur, illud est; verùm non esse at fucatum. Qualis olim motus tripodum & statuarum Dædali, qualis volatus columbæ Architanæ & aquilarum apud recentiores, qualis etiam sermo capitis à S. Doctore disipati.

Causæ in communi.

21. Id ad cuius esse sequitur aliud causa est, quo importatur respectus prioritatis, perfectionis & dependentiæ effectus ab illa, Ly sequitur denotat hic influxum, qui est ratio sua. Obtinet illud supra principium, quod positiuam dicat entitatem & essentiam diuersam à suo effectu: Principium autem vel in eadem naturæ entitate solum ordinem continet, quemadmodum in Diuinis; vel nulla sæpè gaudet entitate, vt principium priuationis in Physicis.

22. Euidentia necesitatis causarum vel hinc adstruitur. Promouendum est subiectum à termino à quo, ad terminum ad quem, & compositi in natura existentiam vi effectiua naturalis agentis, effectum sibi similem in specie ad conseruationem, & perfectionem vniuersi, vt ad finem ordinantis. Nodosus iste circuitus, antiquitati hic sudanti, duraturam æternùm naturæ cõnexionem falso inculcauit.

23. Genus causæ quadruplex, alias tot subdiuisiones continet, inprimis illam, quod aliæ sint internæ, vt materialis & formalis, aliæ externæ, vt efficiens & finalis. Efficientis in primam, & secundam, æquiuocam, vniuocam, principalem, instrumentalem, pro-

 ximam,

ximam, remotam, diuisiones obscuræ non sunt. Diuisio prima est analogicè ordinata.

24. Si deambulatio est effectiua sanitatis, & hæc finis illius, cōstat causas non quidem quoad ipsas rationes causandi, sed saltim quoad esse inuicem sibi esse causas, quod maximè in diuerso causarum genere innotescit.

25. Essentialis causarum totius vniuersi ordo clamat, à prima perfectißima actiones secundarum promoueri, atque etiam secundùm esse reale, & Physicum præmoueri, & prædeterminari. Id tamen consuetas naturæ actiones minimè soluit, aut violat. At soluit, si dicatur eundem numero effectum, simul aut diuisim, produci posse, à pluribus causis eiusdē ordinis totalibus. Protestatur contradictio, id fieri non posse ingeminans.

26. Modus causandi omnium nobilißimus, soli primæ omnium causæ debetur. Hanc vim absolutam causæ inferiores non participant, sed alia inferiori virtute & influxu circumscriptæ tenentur. Ad certos & similes in specie effectus præstandos, determinatæ cōtrarios ponere non possunt.

27. Prioritas causæ ad effectum temporis non est vniuersalis, at bene naturæ prioritas à quo. Perfectionis prærogatiuā causa maximè æquiuoca deposcit, ad effectus quos eminenter cōtinet. Non item vniuoca, esto fuerit principalis. Imo causæ ad effectus, quos ponunt, variant, collatæ cum illis perfectionem retinent, sumptæ simul & cum totali effectu comparatæ, nihil supra ipsum perfectionis habent, collatæ cum eodem sigillatim, vt partiales minus ipso habeant.

Causæ in specie earumq́ causalitas.

28. Entitas materiæ, mota virtute agentis, forma est receptiua, causalitas eius est receptio, seu generationis, & compositi, secundùm omne id, quod paßiuum est constitutio.

29. For-

29. Forma actus, & pars essentialis compositi, ei se communicans, facit, vt esse habeat, & ex indifferentia materiæ ad certam speciem, vitæque gradum determinetur.

30. Actio per quam formaliter agens agit, causalitatem efficientis constituit, quæ dicitur esse actualis perfectio, qua productio effectus attingitur.

31. A fine mouetur efficiens, secundùm quod esse reale appetit, in quo visam boni & perfecti rationem, prompta voluntate complectitur, eiusq; gratia motum in actu secundo agit. Talis motio finalis est causalitas, cui partialem adiunxeris mediis à fine tributam bonitatem.

32. Efficientis liberæ sunt pedisequæ, fortuna & casus, hic in illis quæ non agunt ex electione & proposito, illa in eis occurrit, quæ agunt in electione, sed præter intentionem effectum sortiuntur.

33. Fabulis antiquorum de adamantina fatorũ necessitase posthabitis, fatum verius est, quando id quod mens prima ab æterno constituit, secundæ causæ in tempore serie & connexione ineuitabili exequuntur. Libertas humana hinc eximitur, Respectu primæ causæ nihil fortuitum, fatale, casuale.

34. Monstrum naturæ peccatum est, & defectus, qui à debita dispositione deuiat. In quo iam illud non currit, quod dici solet, Opus naturæ, est opus non errantis intelligentiæ. Natura particularis monstrum non intendit, ab vniuersali per accidens intenditur.

Affectiones Entis mobilis.

35. Motus prima est entis mobilis affectio. Est actus entis in potentia, vbi actus dicit ordinem motus, termini à quo, potentia ordinem termini ad quem. qui tamen vel est perfectus in quo datur vltima quies motus; vel imperfectus qui est ad fieri, quem formaliter motus respicit, vt definito sua definitio, incompleta incompleto, respondeat.

 36. Lae-

36. Largè ſumptum definitum motus, etiam inſtantaneas mutationes continet, ſucceſsiuis tamen & maximè naturalibus formaliter hæc paſsio debetur. Eſſe actum mobilis, in quo ſubiectatur, nihil dubitamus. Vnitatem motus ex terminis ad quos obtinet. In motu locali & termini, & medii vnitas requiritur. vnitas, motus numerica, mobilis, termini & temporis vnitaté poſtulant, tamen motus inſtantaneus, inſtanti contentus eſt, Vnitas motoris in his non attenditur.

37. Ratio humana caligantibus oculis, naturam infiniti aſſequitur, illud eſſe affirmans, quod pertranſiri non poteſt, aut cuius quantamcunque partem acceperis, ſemper alia atque alia reſtat accipienda.

38. DEVS Opt Max: eſt actu, ſecundùm eſſentiam infinitus. Creaturarum nulla id habere poteſt, eſto potentia Dei infinita, in infinitum in creatione perfectioris naturæ procedere poteſt.

39. Actu infinitum in magnitudine, vel multitudine, ne de abſoluta quidem potentia cōcedendum eſt. Nec impedit quod continuum, in infinitum dicitur eſſe diuiſibile.

40. Locus pro materiali, eſt ſuperficies concaua, extrema, corporis continentis immobilis: Immobilitas hic ſumitur formaliter, ex diſtantia ſuperficiei, ad primum conſeruans, centrumque & polos illius. Ex quo locus nec eſt ſpatium, aut interuallum, cum trina dimenſione, neq; vbicatio, ſed id quod formaliter, immobiliter entia naturalia continet, quæ ſola ſunt in loco circumſcriptiuè.

41. Competit loco, continere, conſeruare locatum, maximè verò immobilem eſſe. Vltima ſphæra eſt in loco ſecundùm partes, prout vna aliam continet, quæ vt mouentur, ita ſunt in loco. Et cum locatum ſit, in potentia ad locum, qui eſt actu conſeruatiuus, bene ab illa potentialitate, cælum vltimum liberatur.

42. In eodem loco plura eſſe corpora circumſciptiuè non repugnat, at repugnat vnum & idem corpus ſimul eſſe in locis pluribus.

43. Vacu-

43. Vacuum imaginamur locum corpore non repletum, aptum tamen repleri. Per naturam non datur, nec per vim limitatæ potentiæ, etiam intellectualis. At virtute infinita introduci posset, & tunc motus in eo esset corporis alicuius, non instantaneus, sed temporaneus.

44. Tempus est numerus numeratus, motus secundùm prius & posterius. Habet esse extra animam, esto compleatur intentione animæ. A motu primi mobilis, qui est sua regula primaria, formaliter distinguitur. Estq; vnum numero omnium existentiam habens per instantia.

45. Tres sunt in vniuersum durationis species essentialiter distinctæ inter se. Æternitas est mensura entis simpliciter immutabilis, & secundùm esse & secundum accidentia. Æuum est mensura rei immobilis, quoad naturæ substantiam, bene tamen mobilis secundùm accidentia. Tempus vtramq; mobilitatē includit, quoad entia quæ durant. In illo idcirco per hoc ab vtroque distinguitur.

46. Inceptionis & desitionis rerum naturalium, quatuor termini assignantur; permanentes incipiunt per primum sui esse, desinunt per vltimum non esse, successiuæ incipiunt per vltimum non esse, & desinunt per primum non esse.

47. Quatuor item sunt termini magnitudinis, & paruitatis. Internus terminus magnitudinis est, sub quo res esse potest, ita vt sub maiori esse non possit. Proportionaliter dic de paruitate. Externus terminus paruitatis, est sub quo res esse non potest: at sub maiori esse potest. Tandem magnitudinis terminus extrinsecus dicitur, sub quo res esse non potest: at sub minore potest. Hæc probant certam esse debere rerum & viuentium quantitatem.

48. Ex quo omne quod mouetur ab alio moueri necesse est, ex eo causarum necessariam subordinationem & connexionem dari tuemur. Eæ tamen non procedunt in infinitum, imo supremum

vniuersi motorem & gubernatorem reuerenter cognoscentes, demissè adoramus.

49. Grauia per se à generante, vt à causa principali moueri certum est, esto per accidens à remouente prohibens moueantur. Proiecta à virtute proiicientis, proiecto impressa, idcirco instrumentaria promouentur. Contactus non solùm virtutis, sed etiam suppositi, in actionibus Physicis reperiuntur.

50. Creationē quæ est totius rei, ex nullo subiecto præsupposito productio Philosopho naturaliter disceptātı, aliquando potuisse occurrere non diffitemur. Clarius tamen idem, æternā quandā mundi emanationem constituit non tam fortasse impius in vniuersalem authoris naturæ circa vniuersum prouidentiam, & curam paternā, quam quod ex naturæ progressionibus, causis, & principiis, ad quæ se identidem acerrimus ille animus reuocabat, prætsto quid de re omniū obscurissima & difficillima cōstitueret non habebat. Quanto nos illo, quoad hoc feliciores, quibus Diuina benignitate innotuit, cuius virtute compages vniuersi stetit, qua progressione singulæ illius partes, ex nihilo repetito, Fiat, introductæ, quo ordine, quot diebus, omnia constructa, firmata, absoluta, constiterint.

51. Ita entia vniuersi cum ipso facta, in tempore affirmamus, vt ab æterno creaturas permanentes, aut successiuas esse potuisse, per absolutam potentiam non diffiteamur.

De cælesti natura breues & concisæ opiniones.

1. Cælorum natura est diuinior sublunariū naturæ comparata.
2. Ens mobile ad vbi hæc scientia pro subiecto recognoscit.
3. Tota illa regio est mentium beatissimarum felicitate dotata.
4. Cælum ita est corpus simplex, vt tamen constet ex materia, & forma.

5. Cælum

5. Cælum formam non habet informantem, sed assistentem.

6. Materia cæli diuisa est specie â materia inferiorum.

7. Non est viuens, neq; vegetabile, multò minus sensibile.

8. Est ingenerabile, incorruptibile, qualitatum alteratiuarum expers, neq; graue, neq; leue, neq; calidum, neq; frigidum, formaliter, sed tantùm causaliter.

9. Nec sursum fertur, nec deorsum, nec motu recto flectitur.

10. Circulari circumagitur, qui sibi est naturalis, si naturale à voluntario distinguas, sic est voluntarius.

11. Est motus cæli vniformis, & æquabilis.

12. Agunt cæli in inferiora per se, ac directè motu lumine, influentiis.

13. Voluntatem humanam hinc excipias, cælos vndecim numero cum probabiliori statuimus.

14. Cessante motu cælorum, actiones & motus cessarent, qui dependent à motu cæli, vt generationes sublunares Intentionales vigerent.

15. Motrix intelligentia quando mouet orbem, vna quoq; imprimit virtutem ei, ad causandum motum inferiorum.

16. Primus motor mouet inferiora agentia, & in genere causæ efficientis, & in genere causæ finalis.

Similes de rerum generatione & corruptione.

Generatio & Corruptio.

DAri scientiam de rerum ortu & interitu, non vt sunt mutabiles, sed prout eandem conseruant specierum naturam, clarum est. Ens mobile ad formam intrinsecam subiectum illorum est. Expulsio ab eodem subiecto, primò per contrarium formæ substantialis, & alterius per dispositiones introductio, transmutationem causat substantialem, hæc generationem, quæ est mutatio de non esse vt

à termino

à termino à quo, ad esse vt ad terminum ad quem, Cuius terminus Quod est ipsum substantiale compositum, Generatio sine præuiis dispositionibus non est possibilis. Hæ dispositiones vt instrumentariæ causæ agunt. ad formæ receptionem, Ex generatione infertur corruptio. Hæc dicit mutationem amissionis formæ in materia, seu transitum materiæ ab esse formæ, ad non esse eiusdem Hanc natura non intendit per se, primam vtique.

Generatio sine alteratione nunquam est possibilis, ab illa tamen specie distinguitur.

Non sunt eadem accidenta in genito, quæ fuerunt in corrupto,

Datur in composito resolutio, vsq; ad materriam primam.

Vniuscuiusque compositi substantialis vna tantum est forma substantialis.

Alteratio.

ALteratio est formaliter motus ad qualitatem, manente eodem subiecto sensibili, transmutatione facta in eius affectionibus, aut contrariis, aut mediis.

De ratione alterationis est motus continuitas,

Incipit alteratio per primum sui non esse.

Alteratio generice sumpta, in intensionem, & remissionem diuiditur,

Intenduntur formæ in subiecto, non per additionem graduum, sed per radicationem,

Augmentatio.

1. Augmentatio distinguitur à generatione, & alteratione,
2. Habet rationem motus continui.
3. Terminatur ad maiorem quantitatem.
4. Augmentatio non fit ex materia existente, separatim à magnitudine.

Nutritio

Nutritio.

5. Nutritio est partis dissolutæ, conuersione alimenti in aliti substantiam conuersio.

6. Nutritio & augmentatio cohærent necessariò, & illa sine hac non absoluitur.

7. Potentia nutritiua superior est primis qualitatibus, & eorum temperamento.

8. Sola viuentia formaliter augentur, & nutriuntur.

9. Viuentia toto tempore incrementi, eadem manent numero, idque secundùm partes formales.

10. Viuentia augentur secundùm omnes sui partes, esto quædam inæqualiter vt plantæ.

Mistio.

Mistio est possibilis prout miscibilia agunt, & repatiuntur ad alterationem.

Mistio est miscibilium alteratorum vnio.

Mistio distinguitur ab aliis speciebus motus.

Exactum & omni ex parte æquale temperamentum non datur, tam in qualitatibus motiuis, quàm terminatiuis: sufficit æqualitas ad iustitiam.

Agens Physicum agendo repatitur, quando est cum passo intra sphæram actiuitatis.

Simile non agit in simile, neque patitur à simili.

Elementa.

Elementum est corpus, quod inest ei, cuius est, & in quod cætera resoluuntur.

Quatuor sunt in vniuersum elementa, nec plura, nec pauciora.

Ignis in summo habet calorem, & siccitatem, aer neutram qualitatem in

tatem in summo habet. Aqua potius est humida in summo, quàm frigida.

Elementa quando sunt extra loca sua naturalia, puritatem non habent.

Elementa ex se mutuo generantur, & mutuo corrumpuntur.

Elementa ita sunt corpora simplicia, vt constent ex materia, & forma.

Totum elementum non potest in aliud conuerti, nec pars eius maxima in partem aliam.

Formæ elementorum esto nobis sunt innominatæ, sunt tamen notæ natura.

Formæ elementorum nec intenduntur, nec remittuntur.

Ex duobus elementis qualitates diuersas habentibus, generatur tertium.

Elementa actu in mixto non manent formaliter, sed manent secundum formas repressas, & refractas.

Elementa non manēt in misto virtualiter, quasi forma misti virtualiter contineat formas elementorum.

Eleméta manent in misto virtualiter, quia manet in illo vna qualitas mistionis, qualitates elementorum vnitas, & ad temperamentum reuocatas continens.

Omne corruptibile habet certam vitæ, ac durationis suæ periodum.

Non omnia corruptibilia habent eundem durationis suæ terminum.

Animata corrumpuntur, & ab intrinseco, & ab extrinseco.

Idem numero semel corruptum reparari non potest.

Per Diuinam potentiam, idem numero corruptum reparari potest.

Quædam

Quædam ex libris de Anima.

1. Scientia de anima seclusa Methaphysica non cedit aliis: Hic se intellectus habet, vt oculus noctuæ ad solem.

2. Anima est actus primus corporis Physici, organici potentia vitam habentis: vel est principium quo viuimus, sentimus, moueamur, & intelligimus.

3. Anima sumpta generatim, rectè diuiditur in vegetatiuam, sensitiuam, intellectiuam.

4. Anima perfectorum animalium est indiuisibilis, imperfectorum, & plantarum diuisibilis. Idem est dicere, perfectorum animam esse totam in toto, & totam in qualibet parte, quod de humana essentialiter verum est.

5. Vt vegetatiuũ in sensitiuo, ita vtrumque in rationali contineri certum.

6. Gradus viuendi sunt quatuor, at potentiarũ genera quinq;.

7. Potentiæ specificantur per actus, & actus per obiecta.

8. Potentiæ organicæ, totum compositum inorganicæ, ipsam animam pro subiecto habent.

9. Anima distinguitur realiter à suis potentiis.

10. Anima vegetatiua per suas operationes innotescit, quæ sunt tres, nutritio, augmentatio, generatio. Ratio eius est, generare sibi simile in specie.

11. Sensus non ita presse est potentia passiua quin vitalis sit & operationem actu obiecti informata exerceat.

12. Sensibile cõmune quinario recensetur, numero, motus, quietis, magnitudinis, figuræ, numeri. Adhæc alia reuocantur.

13. Sensus non decipitur circa proprium sensibile per se, sed bene per accidens.

14. Excellens sensibile sensum lædit, & corrumpit.

15. Lux, lumen, splendor, radius, idem sunt realiter, secundùm modos differunt.

16. Lux est actus Diaphani, seu perspicui vt tale est.

17. Color est qualitas motiua Diaphani, secundùm actum.

18. Lumen ex parte duntaxat medii, per modum dispositionis ad colorem requiritur.

19. Subiectum potentiæ visiuæ, est humor cristallinus: at non sine optico neruo, vtrinq; à cerebro ad oculum vtrumq; protenso.

20. Qualitas ex forti duorum corporum percussione; nata est obiectum auditus eaq; sonus dicitur.

21. Sonus qui est obiectum auditus, in aere vt medio recipitur, Aqua isti receptioni minus est habilis, esto piscibus & aquaticis possit esse naturalis.

22. Defertur per medium secundùm esse reale, idq; per spatium debitæ distantiæ: recipitur tamen intentionaliter, prætertim à longe vel ex reflexione soni, vt in Echo.

23. Echo est imago vocis refractæ, ab obiecto solido excauato.

24. Organum & subiectum soni proprium est, aer internus immobilis, spirituosus, & vitalis, seu qui est in auricularum neruosis anfractibus inclusus.

25. Obiectum olfactus est odor, qui non est vapor, exhalatio, sed qualitas ex prædominio sicci in humido nata, medium odoris aer, aqua, organum, cerebro partes vicinæ ad summas nares vocantur processus mamillares dilatationis, & constrictionis capaces.

26. Obiectum gustus sapor, & est passio à sicco terrestri facta, causata in humido alteratiua gustus, secundùm potentiam in actū; Medium gustus est linguæ caro. Organum neruus à cerebro defendens, & per eandem dilatatus.

27. Obiectum tactus est qualitas tangibilis, prima, vel secunda excellens, seu intensior; primó naturaliter, mox intentionaliter tactus immutatiua Medium tactus caro est. Organum seu sensorum neruus toto corpore dilatatus. Exoriri hunc à partibus spinæ monstrat Anathome.

28. Sensus

28. Sensus interni sunt distincti inter se realiter. Cõmunis est sensus, differentias exteriorum sensuum cognoscere secundùm apprehensionem. Residet in anteriori ventriculo cerebri, vbi nerui sensuum externorum vniuntur. Phantasiæ est cum semel ad obiecti præsentiam, exiuit in actum postea absentis, quoties lubet imaginem percipere, quo sensum communem superat, & species immaterialiores habet.

29. Æstimatiua sensus ne sit in homine dubitaretur cùm sphærã actiuitatis sensuum excedat, species obiectorum non sensatas percipere. cùm verò in brutis deprehenditur, sensus est distinctus à phantasia, quæ sensatas aliquomodo species habet, at æstimatiua secum tacite istas colligit, vt cùm fera minor viso leone animalium fortissimo, & nulli minorum ferarum parientem æstimat; qua æstimatione territa imbecillitatis suæ conscia astutum insidiatorem illum longissime si concessum est præterit.

30 Memoria quartus est sensus internus ab aliis distinctus officium eius proportione respondet phantasiæ, illa enim sensata, hæc verò insensata retinet & conseruat.

31. Anima rationalis est immortalis, incorruptibilis, ad multiplicationem indiuiduorum, realiter multiplicabilis.

32. Vnio animæ rationalis cum corpore est naturalis, retinet potentias quoad aptitudinem in statu separationis.

33. Obiectum motiuum intellectus pro hoc statu est Quidditas materialis obiectum terminatiuum Ens in sua latitudine sumptum.

34. Singulare pro hoc statu à nobis directè non est cognoscibile.

35. Datur intellectus possibilis, qui est potentia passiua animæ rationalis.

36. Datur intellectus agens realiter distinctus à possibili.

37. Dantur species intelligibiles ex quibus in intellectu receptis fit intellectio.

28. Species impressa est vt principium potentiale ad speciem

 expres-

expressam, quæ est perfectio vltima cognitionis.

39. Ex intellectu & specie impressa simplex intellectionis principium constituitur.

40. Datur memoria in anima rationali, quæ est specierum in intellectu conseruatiua, nec tamen distinctam ab ipso potentiam constituit.

41. Intellectio est principium productiuum expressæ speciei seu verbi, quod realiter est distinctum ab ipsa.

42. Quam verum est dari appetitum triplicem, naturalem, sensitiuum, & rationalem, tam certum est secundum primo, & secundo tertium præstare. Vocatur is voluntas, quæ mouetur ab intellectu quoad specificationem, tametsi quoad exercitium ipsa mouet intellectum.

Ex variis quæsita probabilia propter exercitium iuuentutis nobilissimæ collecta.

1. An vir bonus primùm sui, deinde Reipub: rector effici debeat.

2. An vir prudens & grauis inanes contemnere debet rumusculos.

3. An vir prudens & maturus facilè discernat verba amici & adulatoris.

4. Prosperamné an aduersam fortunam æquabilius tolleramus.

5. An semper factorum euentus nobiscum ponderemus.

6. An conatus bono fine boni cõmunis suscepti sint oppugnandi, aut verbo asperiore lædendi.

7. An Magistratui æquissima postulanti sit fas refragari.

8. An irritatio animorum propter Rempub: suscepta sit vitiosa, & an sit ferenda.

9. An semel exulcerati vtrinque animi, verè aliquando in concordiam redeant.

10. An Magiſtratus illæſa mente poteſt diſsimulare, quæ palam aduertit ſummo rei communi eſſe detrimento.

11. An verum bonum conſecutus eſt princeps, quem ſui Ciues interno amore proſequuntur.

12. An præſtet priuatim degere, quàm in Repub: diſſenſionibus periclitante imperare.

13. An mores cum factis felicius ſuadent quàm oratio.

14. An refert quis dicat dummodo vera & ſalutaria dicat.

15. An turpia conſuetudine videantur honeſta, & honeſta turpia.

16. An in re vtili turpitudo ineſſe poſsit.

17. An ad habendas virtutes parum aut nihil ſcire proſit.

18. An virtus gratuita melior eſt mercenariâ.

19. An omnes ſtulti ſunt mali. ita Cic.

20 An exemplis Principum formantur mores ſubditorum.

21 An facilius eſt vitiorum initia prohibere, quàm impetum regere.

22. An vllas pænas pertimeſcunt à quibus impune aliena innocentia lapidatur.

23 An palæſtra linguæ quàm dexteræ infeſtior.

24. An generoſi animi ſit errata etiam non petentibus condonare.

25. An apud omnes viuax calamitatis recordatio habeatur.

26. An bonum exiſtimationis ſit omni alia re longè precioſius.

27. An iniuriam moderate tuliſſe faciat homines non vulgariter glorioſos.

28. An ſemper vir fortis dolorem ferre teneatur. Cic: egregiè Philip: 14. Hoc verò tempore in tanta inopia conſtantium & fortium conſularium; quo me dolore affici creditis; cùm alios malè ſentire, alios nihil omnino curare videam, alios parum conſtanter in ſuſcepta cauſa permanere, ſententiamq; ſuam non ſemper vtilitate Reipub: ſed cum ſpe tum timore moderari (dem.

29. An in Repub. libera cuiuis ciuium apertus ſit curſus ad lau-

30. An re-

30. An rectè dicitur Corporibus nihil esse sole & sale vtilius.

31. An sali olei pinguedo insit.

32. An vinum cicuta sit. Plin: 13. c 5. Androcides (inquit) sapientia clarus, ad Alexandrum Magnum scripsit, intemperantiam eius cohibens; Vinum potaturus Rex memento te bibere sanguinem terræ. Sicut cicuta homini venenum est, sic cicuta vinum.

33. An rectè Asclepiades abstinentia cibi & vini, fricatione corporis, ambulatione, gestationibus imperandis tantùm inclaruerat, vt quasi cælo demissus haberetur.

34. An surdi lepores celerius pinguescunt.

Grata vox ominis boni plena.

Nobilissimo adolescenti nomine parentis Academiæ expressa.

DOmus vetustas sanguinisque claritas,
Cõmune maiorum nepotumq; est bonũ.
Esto boni sint vel mali pleno tamen
Sermone iactant arma parta bellico
Patrum labore. Quod ego iam miror tuam
Contentionem promptiorem STOKOVI.
Præclara gentis & parentum illustrium
Propago; nil mirare, conatus bonos
Iuuenum, per altiora connitentium

Itinera

Itinera virtutis, laboremq́; inclytum
Miramur omnes, laude dignos ducimus
Speramus olim commodos patriæ fore
Proceres, parentes, fulcra, propugnacula,
Viros amore maximo, & concordiæ
Consentientes vinculo, prudentiâ
Summâ, fouentes pacis & belli bonum
Et omne patriæ promouentes commodum.
Præstiteris vtinam talibus te ô STOKOVI
Factis virum, inter optimos animo tuo
Vigente sanctitate, probitate, ac fide,
Candoreq́; perenni, bono conciuium.
Nunc destinatum quando pergis fauente
Numine, laborem promptus aggredi: parans
Perpetua naturæ ligamenta & vices
Connexionis omnium admirabilis
Ex ordine reserare. Mater te tua
Benigna alumnum alloquitur optimum.
I perge felix, prosperos ausus habe,
Egregie Iuuenis, germen optimi patris.
Perge, & supernis nexibus vincla omnia
Resolue facili dicta cautus exitu
Progredere faustus luce publica ratos
Magnæ parentis explica cursus, status,
Quando bonorum mentis ostendens sacra
Munera parentem natus exornas tuam.

D   Imo re-

Imo recessu condita arcana eruens
Principia bino iuncta fœdere exprime :
Quam colligatis vinculis congaudeant
Inimica terno bella numero commouent.
Causæ potestas quanta sit, quæ motuum
Progressiones, vel quos parens induit
Natura, vel quos artis æmulatio
Imitatur. Infinita, Vacua dilue
Portenta. pleno ornatior mundus stetit
Decore. circumseptus est is terminis.
Immotus author quem mouet rutilo sedens
Solio, vices hunc motum secutæ gerunt
Interius ætates. dierum tempora
Districta velocissimo cursu procul
Fugiant vicissim cuncta morsum temporis
Sub orbe lunæ posita persentiscere
Natura iussit. solus at diuinior
Animus manebit hominis immortalium
Pars mentium, qui si bonus rexit benè
Fictile pondus, Sarmatam durum, horridum;
Non leue laboris præmium tanti feret;
Pulchri sed æui; gaudijs ditabitur
Perennibus, numerabit æternos dies
Felicioris auræ, amœnitatibus
Nullo ore exprimendis, capax quantum volet
Recreabitur, latiabitur, complebitur.

Isto bea-

Isto beatis mentibus voto inclyto
Quod poterit amplius beatius dari
Quæ maior vnquam ſorte tanta concipi
Fortuna vel fauentior, vel clarior
Sub ſole : ſed non iſta nunc agimus : tuum eſt
Proferre cauſas de quibus dubitatio
Vertitur in orbem. quam iuuentus promptior
Inſtaurat; vrget docta ſapientum cohors,
Pugnam capeſſe. nil cruoris funditur
Hîc, at ruboris aliquid ore ſpargitur
Altis viritim mentibus aſſurgentibus
Agitatione concitatis ardua
Nec tua remiſsiore virtus concita
Calore ſurgat, conſilij ferax boni
Animoſius myſteria naturæ docens.
Laudabilis contentio hæc, ſemper fuit
Iuuenibus exoptanda, qui clarum ſuis
Florere factis, quemq; ducunt inclytum.
Hæc vt ſecundos ſortiantur exitus
Deo bonorum mentis authori omnium,
Et gratiarum tot perenni flumini
Demiſsione ſupplici qua fas iubet,
O nate ſupplicemus inſtanter. parens
Te duco conceptis ad hoc verbis tua.
Largitor optime munerum cæleſtium
Æterna ſpes felicitaſq; mentium

Amore perpetuo tui flagrantium
Maxime Deus benignissime & fortissime
Et omnia vnum quicquid est vsquam boni.
Mortalis haud te sine homo cum præstet nihil
Quod gloriosum præstitu ac laudabile
Fuerit, decus tactotum honor, pietas, genus,
Et quicquid ornat hominem in hac vita breui,
Merito tibi debetur ô Rector, Parens
Princepsq; noster, mente submissâ tibi
Cupio dicatum id quicquid est à te datum,
Primo loco tibi debitum. Sic flumina
Grato susurro prompta sunt ortus suos
Repetere: sic rutilantibus Phæbi ignibus
Vicina flamma radius & splendor minor
Cum lumine exiguo proximo spatio volunt
Iungi. Monarchæ sic tibi noster cupit.
Iam colligari nexibus cælestibus
Conatus, omnis vita contentio labor,
Et omne nostrum quicquid est cognomine
Sanctissimo honori tuo totum damus
Totumq; vouemus, speramus intimis
Animis precati, vt cùm tributa hæc soluimus,
Libenter inde maior exurgat tua
Gloria per omnem æternitatem permanens.



